בסעדא דשמיא:

De

מן

Seu

COELESTI ISRAELITARUM PANE

In Deserto,

Exod: XVI.

DISQVISITIO PHILOLOGICA.

Quam,

Indultu Ampliss: Facult: Philosoph:

In Illustri, ad Auram, Musarum Sede,

Sub *TUTELA*

Admodum Reverendi & Celeberrimi Viri,

DN. M. ISAACI PHRMANN/

L. L. Orient. Prof. Reg. & Ordin.

h.a. Rectoris Acad: Magnifici, Præceptoris & Patroni omni veneratione colendi,

Eruditorum Censuræ Offert modestè,

Exercitii Liberalis Gratia,

PETRUS TIGERSTEDT/ E. F.

In diem, volente Deo, 23 Aug. *Anni M. DCCI.*

Loco horisq; Svetis.

Impr. apud Jo. Laur. Wallium.

In
SACRAM REGIAM MAJESTATEM
Viro Summæ Fidei,
IN CHRISTO
Patri ac Domino
Reverendisſimo,

Dn. JOHANNI GEZELIO,

SS. Theologiæ DOCTORI
dudum Conſummatiſſimo,
Diœceſios Aboënſis EPISCOPO
Eminentiſſimo,
Academiæ noſtræ
PRO-CANCELLARIO Magnificentiſſimo,
DOMINO & MÆCENATI
ut propenſiſſimo; ita ſummè
obſervando.
Pax & Perpetua Salus!

Si licet & fas eſt Auguſtum tangere Limen;
Da faciles aditus Ipſeqve dexter ades.
Da mihi Te *placidum*, Mæcenas, inclyte geſtis,
Accipe jam pronâ, munera parva, manu.
Munera parva licet; qvæ mens ſed maxima vellet,
Pignore qvo totam ſe vovet illa Tibi.
Scilicet, haud meſſem fert plenâ pauper agellus,
Primitias Tibi *fert primaq; ſerta legit.*
Qvis Mæcenati Tanto eſt ſat digna daturus?
Omnia ſunt meritis inferiora Tuis.
Sic qvæ carminibus neqveo comprendere dona,
Attonitus, tacitâ relligione colam:
Jam Tibi, *jam* CHRISTO, Patriæ Patriæqve Parenti
Vivito, Feñorum Gloria Magna, Decor!
Ut Tibi *dent annos, dent longam fata ſalutẽ,*
Eſt & erit votum ſemper ubiqve meum!

Reverendiſſimæ Tuæ Paternitatis

Servus humilimus
Petrus Tigerſtedt.

VIRIS,

Consultissimo Plurimumq;

Reverendis,

DN. ANDREÆ MATHESIO,

Per Bothniam Septentrionalem JUDICI Territoriali Æqvissimo, Adcuratissimo.

DN. M. JACOBO FALANDRO,

PASTORI in Cronoby longè Meritissimo, Districtus adjacentis PRÆPOSITO Gravissimo.

DN. ABRAHAMO FALANDRO,

PASTORI in Calajoki Vigilantissimo, Adtentissimo.

DOMINIS,

PATRUIS

ET

EVERGETIS,

Pia mente perpetim devenerandis, proseqvendis.

va colui semper, Virtutum Sidera Magna,
Vos Boreæ Gentis Lumen itemqve Decus,
Vos petit, & Vestros titulos fert crassa Minerva,
Auspicio & Vestro condecorata venit.
Illam non imbres, non magna pericula terrent;
Officii dum det pignora certa sui.
Pignora suscipite hæc; cum convenientia desint
Munera, qvæ meruit vester ubiqve favor.
Vivite felices, sint Vobis prospera cuncta,
Sufficiat vires continuetqve DEUS!
Post obitum splendor Cœlestis Luminis *esto*
Vobis: posteritas nomina Vestra colat!

Qvod vovet Grand: Vestr:
Nominum

Æstimator devotus
Petrus Tigerstedt.

Stemmatis ſplendore, gloriâ item eruditionis & morum honeſtate

NOBILISSIMO JUVENI,

DN. PETRO Tigerſtedt/

Generoſi qvondam Parentis & de bono publico, atq; hac Academiâ meritiſſimi, Filio optimo, Amico ſuo æſtumatiſſimo,

Cum eruditam diſſertationem

DE MANNA,

Publicè & ſolerter propugnaret Auctor, votivæ acclamationis cauſâ,

Χερσὶν ἐπιῤῥυθῶ σέο μόχθοις ἀμφοτέραισιν
Φίλτατ' ἐγὼ, ὅσιον μογερὸν καὶ σ' ὄντα δαείω.
Εὔχομαι, ἐσθλὰ διδοῖ Θεὸς ἐσθλῷ σοι διὰ παντὸς!
Ὄφρα δαεῖς ὡς ἡδὺ πόνων μεμνῆσθαι ἔησι
Τοῖσι σοφοῖς ποτὲ; εὐτυχέειν ἱδρῶς σ' ὅτι δώσει.

L. Mq̃.

Gratulabundus accinebat

DAVID LUND.

In

Dissertationem Egregiam

DE MANNA,

Juvenis Natalium gratiâ, eruditionis elegantiâ & morum liberalitate Nobilissimi,

DN. PETRI Tigerstedt,

AMICI SINGULARITER DILECTI.

FRuge bonâ fœtus, dum MANNEA fercula pandis,
Æthereæ MANNA est mentis imago tuæ.

Ne Amico deessem, aliis licet distractissimus curis, festinab:

TORST. RUDEEN.

In Dissertationem
DE MANNA ISRAELITARUM
in deserto,
Nobilissimi & Politissimi Juvenis
DN. PETRI TIGERSTEDT,
Fratris sui Germani & Carissimi.

FErcula carminibus quæ sunt celebrata vetustis,
Lymphaq́ Castalio dulcior amne fluens,
Non hoc, mi Frater, veniunt memoranda Libello,
Sed fictis placeant nectar & esca Diis.
Certius hic monstras superum, quas priscus Apella
Demissas pluvio, legerat imbre dapes.
Perge modo cœptis, adplaudat Rector Jova!
Et stabilem profer fortiter usque pedem.
Sic tibi, mi Frater, gratam sperabo Minervam,
Cum nectunt Trinæ ter Tibi serta Deæ.

gratulabundus scripsit
Samuel Tigerstedt.

LECTORI

CANDIDO ET CENSORI ÆQVO SALUS!

D Cœleſtes Epulas & Angelicas menſas, *Te Amice Lector, jam invitatum volo. Fercula Tibi offero, non qvæ ferit mundana vanitas libidinoſa plerumqve; ſed illa libanda Tibi ſiſto, qvæ animum Tuum paſcent, non externa quidem; ſed ratione ſublimiori, interna voluptate. Adverte, habebis hic, non qvod ludentes pueri in faba ſibi fingunt; vel qvod in effoſſa nuce conſpicantur ipſi; ſed qvod altius tendit;* Divina miracula *ſubolfacies. Scilicet: hæc illorum eſt ratio, hæc in permovendo vis; ut animum, ipſorum ſcrutinio deditum, adficiant valdè, erigant multum & ad lætitiam componant totum. Omnes autem Mortalium,*

& præsertim illi, qvibus erectior contigit mens, qvibusqve Divinæ veritatis majestas cura est & cordi, qvemadmodum hoc sibi injunctum habent; ut opera divinæ potentiæ perpendant sedulò, hæc extollant & venerentur semper; ita hæc lex hanc mihi fecit audaciam, ut hoc exercitium vile & abjectum nimis, darem publicæ luci. Existimavi semper, tempus nullum felicius impendi quam exercitiis his, qvæ tantam sibi conjunctam habent utilitatem & tot stimulis animos nostros instigant; verum dum hæc animo agitavi, parum abfuit, qvin rei hujus sublimitate victus, occumberem totus. Dum enim Argumenti hujus, qvod jam occupavi, immensa spatia & mira ratio animum subeunt; in illud Plutarchi impegisse videor: τὴν βοῦν ἐπίθηκά μοι καὶ ἃ δύναμαι τὴν ἄιγα φέρειν: Bovem imposui mihi & capram ferre nequeo. Majus suscepi negotium, qvam valeant exseqvi vires. Ast hæc licet sit ingenii mei ratio infirma, sufficiet mihi tamen, circa hoc ipsum animum fovisse devotum, & cum nucleum non tetigerim, tamen voluisse satis est. Scio autem Te E. L. in Opella hac simplici id requirere, qvod in aliis accepisti semper: do-

Stri-

trinam subactioris judicii absolutam planè & materiam dignitate illustrem. Prius adfirmare non ausim; illius tamen defectum, compensabit excellentia posterioris. Anxii allaborant illi, qvi, uti dici svevit, supra vulgus sapere volunt, in Argumento ejusmodi investigando, qvod ob notionem peregrinam, ex cogitationum penu depromtum, multijugâ illorum &, ut volunt, non vulgarem arguat eruditionem. Hanc viam ingredi non sustinui ego. Nihil præconceptis indulsi opinionibus. Ipse nihil mihi sapuisse videbor. Fundamentum jeci solidum, firmam adhibui basin, omni exceptione majorem. Superstruxi hujus Opellæ Oeconomiam principio omnium primo, principio divino, S. *ut vides*, Scripturæ. *Tam duxi hoc firmum: tam habui hoc ratum semper, qvod huic innixum staret; ut omnia, qvæ alioqvin humana excogitat industria, instar scoriarum ad aurum liqvidissimum, habuerim pensi. Suppeditavit mihi* Divina hæc veritas *hujus Argumenti componendi ansam, nescio qvo adfectu animum meum incendente, eum non ita pridem in Ipsius meditatione occupatus essem. Adeò confestim mihi arrisit hoc objectum; ut*

non potuerim, quin manibus pedibusque ipsum arriperem. Tantum autem abest, ut ob hoc aliquid esse velim, cum nihil sim; ut potius hoc, eo fecerim animo, quo ingenium aliquo doctrinarum genere acuerem, & ne Academicæ societatis membrum plane ἄχαρπον, per hæc tempora essem. Fuit semper à meâ simplicitate tam longè vanæ gloriæ captatio: tam fuit hæc mihi invisa semper; ut majori in rem nullam ferrem odio. Licet autem non lateat me exile hoc scriptum, varia variorum subiturum judicia, cum illa jam sit seculi hujus subtilissimi ratio: calumniis omnia proscindere: nimis de alterorum simplici industria sentire siniſtrè: cuncta sub limam revocare; hoc tamen, & quæ alia movere solet invidia, animum mihi adeo non fregit; ut magis auxerit. Eludant proinde, eludant, audaces, quibus impiè persuasum est, neglectis suis, in alterorum inquirere navos. Redibunt aliquando in propria improborum capita, quæ intenderunt aliis iniqua judicia. Sufficiet mihi, aqui Censoris, vel unius tantum, candidam meruisse limam. Adferet mihi favor hujus præsidii magis, quam vel mille improborum minacia tela.

MEM-

כי־יהוה חסיתי אל־אבושה לעולם׃
כי־אתה תקותי אדני יהוה מבטחי מנעורי׃

Pſalm. LXXI. Verſ. 1. 5.

MEMBRUM PRIMUM.

A Generali divinæ beneficentiæ commemoratione, ad ipſius ſpecialiorem dilabitur, tam erga mortalium omnes, quam præcipue in Hebræam Gentem, per Miracula conſpicuam. Hinc digreſſione facta ad preſens noſtrum, præſtantiam ejus tanget verbo, dein in ἐνομαστολογίας conſideratione ſubſiſtet.

§. I.

Rerum hunc ſtatum univerſum, qvicunqve Mortalium attentuspervolvit; ultrò fateatur eſt neceſſè: res qvasvis, cujuscunqve ſint conditionis cujusqve ordinis, vel naturæ demum, qvæ non te-

me-

merario qvodam fortunæ impetu, vel alio incerto casu; sed ex nutu superioris cujusdam, puta æterni & immensi DEI fluunt, si non in alio; in hoc tamen rerum momento convenire: ut harmonia svavi, Conditoris summi curam providam, beneficentiam summam & prospicientem oculum, omnibus, argumentis certis, ob oculos ponant manifestentqve. Scilicet ipse conditor DEUS, qvemadmodum ex operibus dignosci vult; ita ex his tanqvam communi principio, benevolentiæ suæ vult hauriamus indicia certa. Tanta enim est beneficiorum moles, qvam in totum rerum creatarum ordinem, ex sinu clementiæ suæ, plena manu effudit divina bonitas; ut si dignus accesserit æstimator, qvid dicat nil habeat aliud, qvam ut Augustissimo Patrum D. Augustino accinat: *obrutum se harum multitudine, his involutum obstupescere se totum, deficere sibi linguam.* In tanta autem fortunæ copia, si prærogativis agendum, vel inter creaturas, in hac felicitate recipienda, aliqvid

aliqvid ſtatuendum diſcriminis; vindicandum erit unicè hoc bonum rerum *conditarum Principi*, *operum divinorum complemento*, *homini ſoli*. Qvam enim fuerit ſemper divina clementia occupata in hoc *Mortalium ordine* conſervando, patet argumentis ſupra evidentiam poſitis. Totus enim hic, qvem unqvam illuminavit *Oculus Mundi Sol*: quem omni tempore geſtavit humeris *Mater Terra*, propria ſibi habuit divina beneficia ſemper. Huic, ſub lucis hujus aſpectu, jam tum proſpexit Conſervator omnium DEUS: huic, in progreſſu vitæ conceſſit utilia; etiam poſt exitum clementia ejus ſtetit bonis. Tam eſt etiamnum hujus notitia evidens omnibus; ut vel ipſum, qvi experientiæ ſolius teſtimoniis rectè vivit, poſſit non feſelliſſe. Si enim ad beneficia illa flectamus ſenſus, qvibus hoc noſtrum *Genus Mortalium*, ut & ſuperioris ævi, adficitur: proh! qvam ſunt hæc illuſtria, qvam gravia! Nominabimus horum ſpeciale unum, qvod

qvod & noſtrum ſcopum ſtringere potis eſt: dicemus unum, qvod, licet ob ſummam communitatem, ſeculi hujus ingenia craſſiora pro beneficio vix reputent; attamen in ſe eſſe ampliſſimum, ſvadet rei, penitius perſpectæ, ratio evidens. Scilicet: eſt hoc beneficium ampliſſimum, qvod in vita hac ſuſtentanda, impendit qvotidiè, divina providentia. Ipſum hoc, immenſæ DEI benignitatis certiſſimum pignus, ſi altiori indagine penſitemus: res in confeſſo erit, hoc, cum maximis, qvæ in temporalis vitæ bonum cedunt, certare dignitate. Qvis enim ignorat omnium, poſt conceſſæ vitæ hujus beneficium, hoc ſecundum eſſe: hoc medio integram vigere ipſam: huic innixam ſtare ſalvam: ſi hoc bono careat; actum eſſe de ipſa, jam de illa triumphaſſe fata? Aſt, qvid dicendum, ſi relicto naturali ſuſtentandi modo, alium huncqve ſupernaturalem inveſtigemus? Fatendum omnino erit: diverſum modum, diverſam & ſublimiorem reqvirere conſide-

ra-

rationem; etiam diverſis ſententiis hoc in paſſu agendum eſſe. Judicavit ſemper ſincera ſapientia: rebus, utut naturæ debitis, qvanto altius tendant â communi ordine; tanto majus pretium ipſis imponendum: qvantoqve ſint illuſtriores aliis; tanto majorem gloriam addendam ipſis. Hinc, qvam illæ, qvæ ad miracula ſe extendunt, ſublimiori ratione excipiendæ! qvam ſunt illæ admiratione majori dignæ! Neminem latere poteſt, miracula illa, qvæ ſuppeditat nobis inſignia, DIVINA VERITAS, aliis omnibus, ſi qvæ ſint vera, præſtare variè. Hæc, uti de aliis omnibus judicat ſola; ita de ſe nil niſi divinum & ſublime vult ſentiamus. *Miraculorum omnium Oceanus ſola*, nil niſi Miracula tradit: eſt ſiqvidem â Miraculorum omnium Auctore profecta unicè. Qvis ergo dubitat, *Miracula*, qvæ tradit, etiam pro *Miraculis* venditare ſummis? In horum cognitionem, admirationem dixiſſem, ſi cui deſcendere placet; vix in hoc paſſu progredietur felicius, majorem vix

habebit voluptatem: qvam ſi ad tempo-
ra illa flectat ſenſus, qvibus viguit *Gens illa*, jam cladibus famoſa: jam Mira-
culis illuſtris: *Gens Hebræa.* Erga ipſam hanc, qvam ſibi elegit DEUS ab aliis, & vita & moribus diverſam (ut in hanc ſingularis favor, & aliis in admiratio-
nem conſtaret potentia) Miracula præ-
ſtita tanta videbit; qvanta Mortalium nemo, ne famâ qvidem accepit, minus multo vidit horum aliqvis, qvæ nec videbit unqvam. Tot tantaqve fue-
re hæc; ut fulgore horum oppreſſa, ad-
fectaret viliora Gens ingrata. Jam *cal-
cavit maria inſtar camporum: jam Gentium cervicibus inſtitit, qvæ nulla niſi divina virtute proſterni poterant.* Per vaſta deſer-
ti ſpatia, ubi cumprimis inſignia fuere *Divinæ potentiæ Opera*: jam *avium greges advolavere: jam ſaliit petra: jam aqva amara prius manabat dulcior: jam panis ipſis in eſcam deſcendit cœlitus.* Omnia hæc tan-
ta ſunt; ut vel ſola horum commemo-
ratio ad miracula exſurgat. Hoc autem,
qvod

qvod diximus, ultimum, admirari & venerari licear magis, qvam, ratione minus culta, lumen ejus, qvod divinum eſt, obfuſcare. Qvippe qvemlibet, in ſui admirationem, reverentiam ſimul, convertere, potis eſt. Illuſtre eſt hoc *Miraculum*: tam eſt inſigne; ut per totius ſcripturæ ambitum, vix occurrant multa, qvæ huic præripient palmam. Non unum; ſed innumera ſiſtit miracula, tot ſiſtit, *qvot particulæ, vel minutiſſimis, abſolvitur*. Hinc non vice ſimplici: non qvoad externa ſigna; nec ſemel, hoc nobis ſiſtit S. Scriptura; ſed totum cum circumſtantiis omnibus, ubi de hoc agit, exponit nobis; etiam hujus, poſt longa, & temporum & ſcriptorum momenta, meminit accuratè. Hinc illuſtria *epitheta*, qvibus ab Ipſa inſignitur, qvæ non minus Ipſius dignitatem; qvam Divinam virtutem, arguunt ſat clarè. Ipſi etiam Hæbræi, Gens alias licet laudis ſuæ larga; in hoc tamen gratulando ſibi, nil commiſére reprehenſione dignum. Summis laudum

encomiis hoc efferunt. Inter beneficia temporalia, Ecclesiæ suæ concessa, hoc, instar *fulgidissimæ gemmæ*, se habere statuunt. Sed ne in limine, ad externas laudes, *Materiæ tam nobilis*, hæreamus, cum & in progressu de his constabit fusius, ad interiora nos accingimus: in *Argumento hoc illustri*, qvid valeant imbecilliores ingenii vires, experimentum facturi.

§. II.

Certò certiores cum simus, de *divini hujus doni vera existentia*, è re esse non ducimus, in hac vindicanda, anguſtias pagellarum conflictu vano opprimere: ne in rem certam inqvirendo, & hanc & nos faciamus incertos magis. Nemo enim adhuc prodiit, qvi hoc ipsum, nisi nugator vanissimus, in dubium revocare ausꝰ est: qvod nec fieri potest, nisi in S. Scripturæ auctoritatẽ & ἀυθεντίαν (suam, impia & blasphema inferantur judicia. Ergo inoffenso pede progredientes, rem ab ovo ordiemur, & paucis, de Argumenti nostri notione & natalibus agemus prius:

qvô

qvô de vero ejus ſenſu, vel qvi nobis ſaltem videtur, conſtare poſſit. Hæc enim, ſi aliis, præprimis ipſis Philologis, ſemper incubuit cura: qvippe ſine hâc, opus illorum, imperfectum audit communiter: ſine hâc, mutila & manca illorum claudicat doctrina. Nec probatiſſima hæc conſvetudo, ſuis unqvam deſtituta eſt commodis; *qvippe qvem fallit vocum vis in ſignificando, is rei nucleum vix tanget felix.* Cujus & nos tenaces erimus, ne novum dogma ſapuiſſe vidamur. Ita autem fluunt fontes, qvorum ductu hanc opellam exſtruximus: Ex. XVI. v. 15. ויראו בני־ישראל ויאמרו איש אל־אחיו מן הוא כי לא ידע מה־הוא Hæc ita redit D. Sebaſt Schmidius: *Quod cum viderunt Filii Iſraëlis; dixerunt Vir ad fratrem ſuum: Man (donũ ſingulare) hoc: qvia neſciverunt quid eſſet.* Item. v. 31. ויקראו בית־ישראל את־שמו *Vocavit autem domus Iſraëlis nomen ejus Man.* In hujus *vocis* derivatione, tam apud Interpretes hujus loci; qvam Doctores alios, varias animadvertimus ſententias:

adeò

adeò, ut dubitandum: num in Thematis alius originatione inveſtiganda, in majora ſententiarum divortia abierint. Qvibusdam enim, hæc ſignificandi notio placuit: ut vocabulum *Manna*, ex hebræo qvodam מן deducant, vel ſaltem idem cum illo eſſe velint. Terminationem eſſe ex lingva Chaldæa, qvæ ex hæbræo מן facit מנא. Qvidam hæc verba: מן הוא accipiunt *interrogativè*, & volunt מן idem eſſe qvod hebraicè מה qvid; qvaſi ex admiratione, divino pane viſo, in hæc verba eruperint: *qvid hoc?* poſtea nomen hoc ei manſiſſe & appellativum factum. Hinc 70 Græci reddiderunt: τι ἐστι τοῦτο; Et hæc qvidem ſententia, arriſit B. D. Pheiffero. Dub: Vex: p. m: 263. loc: 94. qui ſtatuens, vocē מן eſſe Hebræo-Syram, contractā vult ex מה & נא: ipſum deinde, origine licet pronomen; uſu tamen in nomen degeneraſſe. Qvam qvidem ſententiam, verba ſeqventia adſtruere videntur: *ignorabant qvid eſſet.* Qvaſi ex impatientia

ac

ac contemtu dixiſſent, cum viderent, non piſtum ſibi panem, ut fortè exſpectaverant advenire. Ipſe autem D. Polus in Synopſ: Crit: in Exod: p. 388. dum hanc ſententiam refutat, dicendo: *non* מן *ſed* מה *hebræis* eſſe qvid, exiſtimat, nil abſurdi eſſe, ſi dicamus, (ſiqvidem מן pro מה Ægyptiacum eſt) *ipſos Iſraëlitas, qvi tot annos in Ægypto degerant, uſos fuiſſe particula ejus lingvæ.* Hoc autem ſi conſtaret; plauſibilior utiqve foret hæc derivatio: ſed obſervante Magno Buxtorft. Exercit: p. 337. hanc difficultatem reſtare: qvod הוּ ſit hebraicum, atqve ita, vocum harum, una eſſet Ægyptica, altera hæbræa, qvod vix probabilè videtur. Alii accipiunt hæc verba, *indicativè vel poſitivè*, ut per מה הוּ ſignificetur τὸ τί ἐστι, qvid illud ſit de qvo loqvuntur. Hi faciunt ex מן nomen, &, referunt illud ad rad: מנה qvæ ſignificat *conſtituere ordinare & deſtinare*; ut מן relecta ultima radicali, idem ſit, qvod מנה *pars, portio ſive donum, à DEO datum & in tibum deſtinatum*; qvia qvid eſſet, dicere non

poterant: vel *præparatus & suppeditatus à DEO cibus*; qvia alia præparatione non egebat; fuit enim in se ipso bonus & esui aptus. Et hinc est, qvod dicat Excell. D. August: Varenius Dec: 12. in Exod. Loc: 6. p. 258. *Verba illa* Manhu, *stant enunciativè non interrogative. Hu est* subjectum, Man prædicatum *& est hic qvædam accidentalis prædicatio, & illius tenuis rotundi sensualis descriptio, qvæ postea esse cœpit propria nominis notatio. Unde* Man, *non est pronomen, sed nomen a rad:* מנח, *in illa præparandi & constituendi suppositione.* Hæc ille, Hanc significandi vim etiam subit vox hæc in S. Scriptura plurimis in locis. Utpote Dan, 1, v, 5. & 10. Jon. 2. v. 1. & Cap. 4. v. 6. 7, 8. Sunt & sententiæ plures circa hanc rem, qvibus jam Arab: jam Chald: Jam Syriac: placent lingvæ: verum has, veluti extra oleas vagantes, consultò mittimus; sufficiat potissima, & qvæ ad rem accedunt proprius, ratione instituti, adduxisse. In his Auctorum, tam judicio, qvam dignitate graviss. sententiis, di-

dijudicandis, ſi qvid temerè ſibi præſumat noſtra ſimplicitas: videtur harum ultima, quæ ſcil: *Manna*, vel per *donum ſingulare*, vel per *cibum præparatum* exponit, (coincidunt enim hæ invicem) merito ſuo, facilè applauſũ mereri. Qvippe & Auctorum & rationum momentis, recenſitis ſupra, præponderat variè: libero tamen cuilibet, hac in re decernendi facto judicio. Eſt namq; non exigua pars Hebræorum, qvi in hanc ſententiam propendent palam; quorum tamen vota jam miſſa facimus, contenti ex *Verſionum optimis*, hanc *veritatem* adſtruxiſſe. Sciendum autem eſt, omnes fere Interpretes, qvantum qvidem nobis conſtitit, conſenſu unanimi, hic adhibere *verba poſitiva*; non autem ſub *ſtatu quæſtionis* hoc efferre. Hinc B. D. Sebaſt: Schmidius & Oſiander, vi originationis hujus, per *donum ſingulare*, in animadverſionibus ſuis hoc efferunt. Idem faciunt Imm: Tremell: & Franciſc: Junius, reddentes hoc per *cibum præparatum*. Etiam B. Megalander Lutherus, verbis utitur

positivis: daß ist Mann. Idem observare licet, apud Interpretes alios, qvorum studio S. Scriptura tam per nostras, qvam affines lingvas reddita prodiit. Adeo ut è re non sit, in planis per se, qvid scrupulosi subolfacere.

§. III.

Hinc jam dilabimur ad Homonymiam brevibus exponendam, qvæ minime â nobis, in negotio hoc, prætermittenda; si modo justo ordine progredi velimus, & non monstrosa qvadam commixtione, *Argumenti nostri* lumen obfuscare. Non autem hac vice consultum duximus, acceptiones improprias respicere, vel in mysticam ejus tractationem descendere: *Sed propriè qvoad rem hoc ipsum pertractare, & præcipua, tam ex Scripturæ Sacræ auctoritate, quam Hebræorum placitis, qvantum fert veritas, explicare.* Constat autem in Sacris Literis, varias hoc subire significandi notiones: adeo ut jam accipiatur pro *spirituali nostra cibatione* uti Joh. 6. *jam de ca-*

cæleſti voluptate Apoc: 2. 17. &c. A qvibusdam confunditur cum *Manna naturali*, de qvorum differentia in ſeqventibus agemus prolixius. Etiam *Man* apud Hebræos qvodvis vas denotat, uti obſervat Clariſſ: Buxtorf: in Lex: Talmud: Tandem etiam priſcis temporibus, vox *Mana*, Schytis in uſu fuit, qvâ Menſes ſuos exprimebant, unde qvidam noſtrum מנת deſcendiſſe volunt. Has acceptiones, & qvæ plures eſſe poſſint, utpote â ſcopo noſtro alienas, ablegatas volumus. Et de ſolo *divino & ſupernaturali* acturi, voces qvasdam ipſi æquipollentes, hic ex S. Scriptura apponimus. *Qvemadmodum autem ex nominibus de rei dignitate judicare ſolemus*; ita videmus circa hoc noſtrum, idem conſtare. Exprimit hoc S. Scriptura titulis illis, qvibus magna ineſt ſignificandi vis, qviqve rei dignitatem nobis ſiſtunt apertè. Jam enim דגן שמים, *panis ſeu triticum cæleſte*: jam לחם אבירים *panis fortium* audit Pſalm: 78: 23. 24. De cujus ſignificatione, licet non idem ſentiant

eru-

eruditi: nos tamen ſine cujusquam præjudicio, cum D. Pheiff. per לחם אבירים ejusmodi panem intellectum volumus: qvi ob ſaporem ſvaviſſ: & nutriendi facultatem, generoſis convenit & fortibus; panis enim hujusmodi, ab his ad. amari ſolet. Hinc D. D. Gejer. & Clariſſ: Troſtius circa hunc locum habent: Er gab ihnen nicht ſchwartz Weſtphäliſch Geſinde-Brod; ſondern herrliche Fürſten-Speiſe. Sap. 16. 20. dicitur Ἀγγέλων τροφή, *non qvod eſcâ hâc ipſi veſcantur Angeli; ſed qvod horum opera in aëre fuerit præparatus.* Unde Piſcator & Eſtius: *genitivus (Ἀγγέλων) hic non eſt fruentis ſed efficientis.* Pariter loqvi amat D. D. Danhawer: im Himliſchen Lobſpruch der Ehre/ p. 298. Weil die Himmliſchen Lebkücher oder Zuckerbecker/ die H. Engel/ dieſes Brod in der lufft gebacken. D. Apoſt: Paulus 1. Cor. 10. *Spiritualem cibum ipſum Manna* vocat. Magna ergo cum ſit rei præſtantia; magna utiqve ipſi aſſignanda nomina.

Mem-

In Auctorem hujus brevibus inqvirit. Discursum deinde instituit de Divino hoc atq; Naturali; ita ut prioris dignitas atqve excellentia rationibus vindicetur. Hoc peracto, circumstantias ipsius, qvoad poterit, in apricum sistet & miraculosam rationem adstruet plenè.

§. I.

His ita breviter ἐτύμως tactis; rectà pergendum nobis est ad intimiora *Materiæ* hujus perspicienda. Et hic qvidem detenti nimium, & modo non, *divinorum Operum*, contemplatores otiosi audiremus; nisi statim sub limine, facta mentione originis, qvem *Auctorem* habuit hoc *cœleste munus*, traderemus prius. Hoc enim, si â nobis reverentia qvâ par est, & non frigidè præstitum fuerit, prodibit *Argumentum*, utut careat gemmis aliis, sola hujus umbra illustrius, prodibit gravius. Si ergo *â principiis*, *rebus omnibus*, *sua inest* glo-

gloria, ſuâ majeſtas; etiam â ſuo habet *noſtrum*, qvidqvid trahit divini. Natales refert, & qvidqvid per hos accepit, reddit unicè: *Principio* omnium, qvi ipſe principia neſcit: DEO ſoli, in ſecula laudando, celebrando! Ipſum hunc, qvemadmodum agnoſcunt Auctorem, res illæ, qvibus contigit ſors viliſſima; ita hæ magnitudine vaſta, & pulchritudine inſigni, hujus arguunt potentiam, hujus exhibent robur. Produxit hoc ſummus rerum *Stator* uti *miraculum*; ita *miraculoſè*. Cœlitus hoc demiſit miniſterio illorum, qvos in mandatis promovendis, voluntatis exſecutores habere ſvevit. Poſtqvam enim omnipotens DEUS, cujus eſt ſolius mirabilia facere, Populum hunc duræ ſemper erga ſe cervicis, per tot *Miracula*, extento brachio, ex ſervitute Ægyptiorum immani extraxiſſet, Et jam in promiſſam Terram introducere agitaret animo: in vaſtiſſimo deſerto, cujus ſpatia huic jam metienda erant, mali ejus genii, cujus & jam ante ex-

pe-

perimenta dederat, hic ſigna vidit certiora. Cum enim nimiam luxuriem ad temperantiam revocare vellet Summ: Numen, & corporis ſaginam, cui nimium intentus fuit, aliqvantò circumſcribere arctius: in Ipſum & Sanctiſſ; ſervos, impio ore, impia effudit verba, & cibum ſibi efflagitavit contumacia inſigni. Hoc tamen enorme ſcelus, hoc impium factum, tulit divina clementia, & hoc cœleſti pane, ora improborum clauſit oportunè. Ipſe dixit & factum eſt. הנני ממטיר לכם לחם מן־השמים *Ecce ego pluere faciens vobis panem cœlitus.* Num autem in hoc producendo, nova qvædam exſtiterit creatio; vel ex primis rerum initiis, qvæ conſpexit omnia auguſta illa ἐξαημέρος lux, natales ſuos habuerit? res uti eſt ardua; ita noſtrum non eſt in hanc ipſam ſcrupuloſè nimis inqvirere. Dicemus tamen paucis, ut in obſcuris fieri ſolet; *probabiliter*, nil detrahemus ipſis, qvorum pectus altiora ſapuit. Ergo licet fuerit *Manna* hoc in natura in-

ſolitum planè, & extra communem ordinem, probabile tamen videtur, *non ex nihilo, ſed materia quadam præexiſtente, produxiſſe hoc Conditorem DEUM, concurſu quodam ſpeciali, licet extraordinario.* Fatendum eqvidem eſt: ipſum DEUM, hoc, ut admiranda alia, ſolo juſſu nutuqve ſuo producere potuiſſe, nulla adhibita materia; ſed tamen uti voluit rerum naturalium opera, qvarum Ipſe Auctor & Effector exiſtit ſummus. Qvemadm: apprimè huc quadrant verba Auguſt: de Mirac: Cap. 1. *Conditor & creator naturarum omnium, DEUS, nihil contra naturam facit; id enim cuiqve rei erit naturale, qvod ille fecerit, à qvo eſt omnis modus, numerus & ordo naturæ.* Sunt tamen Auctores, qvi volunt hoc, cum primordiis rerum, a DEO in Paradiſo productum, ob præviſam hujus aliqvando in populo ſuo indigentiam; cum ipſius DEI ſcientia etiam ad contingentia futura ſe extendat. Nos his detractum nil volumus; ſed ipſis, & qvibus placet, hanc hypotheſin defendendam relinqvi-

qvimus. Illa autem ſententia, qvæ productionem operis planè novi, invehere geſtit, longius abit, qvam videtur velle ipſa veritas. Et licet hic nihil certi determinari poſſit; ſufficiat nobis, cum de rei veritate conſtet, utut lateat nos modus, dicere cum Auguſt: *DEUM aliqvid facere poſſe, qvod inveſtigare non valeamus.*

§. II.

Luſtrata ſic obiter *Mânnæ origine*, forſan non malè hâc operâ defungemur; ſi brevitate qvanta fieri poteſt, qvam etiam unicè ſectandam nobis propoſuimus, jam diſſeramus de *circumſtantiis*, circa hoc conſpicuis, & qvæ â nobis obſervationem merentur. Fruſtra autem labor hic â nobis inſtituitur; niſi prius removeamus obſtaculum, qvod felicem curſum retardare videtur. Scilicet, ſunt qvidam Interpretum & Doctorũ, qvi exiſtimant *divinum hoc* cum *naturali Manna*, qvale in Regionibus qvibusdam decidere ſolet, & â Phyſicis in

Meteorologia proponitur, idem eſſe. Hi ferè divinam virtutem omnem huic denegant, nec præter *accidentia qvædam ſupernaturalia & miraculoſa* â divina potentia addita volunt. Qvi hujus ſententiæ propugnatores ſalutantur, præter Valleſium illum, Philoſoph: Sacr. c. 57. cui hæc placuit valde, ſunt etiam ex Patribus qvidam, Imprimis idem ſaxum volvit D. Ambroſ. Lib. 8. Epiſt. 62. rem his exprimit verbis: *Qværis à me, cur Dominus DEUS* Manna *pluerit populo Patrum, & nunc non pluat? ſi cognoſcis, pluit qvotidie de cælo* Manna *ſervientibus illi: & corporeum qvidem illud* Manna *hodie plerisqve in locis invenitur, ſed nunc non eſt tanti rei miraculi; qvia venit qvod perfectum eſt, corpus de virgine,* Mens eadem fuit B. Luth. in Colloq. cap. 7. fol. 84. fac. 2. Ich halts gewiß bey mir davor und glaube/ das Schwaden (*ita enim Germ. dicitur*) Himmels-Brod ſey. Eandem omnino rem, & ſecundum ſuam naturam ejusdem ſpeciei, cum *vulgari* fuiſſe *divinum* aſſerunt pariter Card. p. 987. & Subtil:

Sca-

Scaliger Exercitat: p. 164. His, priusqvam nos opponamus, lubet *vulgaris Manna*, qvod cum *divino* confuderunt malè, brevem σπίαγραφίαν sistere.

§. III.

Hoc, qvod â *Divino*, ob convenientiam cum ipso externam, nomen sibi assumsit, docent naturalium rerum periti atqve Medici: *esse vaporem qvendam aqveum, calore solis diurno elevatum, & in aëre tranqvillo excoctum, donec â frigore noctis sequentis concrescat & gravitate sua delapsum, adhæreſcat foliis arborũ. ut volunt Joh: Ronod: e Gal: lib: 3. de Element: facult: cap: 39. & Anton: Deusing: disp. de Manna, distinct: 42. Henricus Kipping. in Instit Phys: lib: 5. cap. 7. p.208. dicit esse rorem percoctissimum & densum, qvi generatur â succo, è Terræ visceribus adducto in herbis, frondibus ramisqve arborum, & ex illis virtute stellarum, roris instar educitur.* Alias â Medicis vocatur Δροσόμελι & ἀεροὐελι, mel roreum & ros aëreus, convenit enim qvoad substantiam fermè cum melle, ut solum ab eo differat sublita-

tilitate. Dicunt hoc esse medicinam optimam, qvæ flavam bilem, citra omnem molestiam alvo exigat, & tam pueris, qvam fœminis, qvibus medicamenta vehementiora non conveniunt, sine ullo incommodo offerri possit: mitiget ardores febris: restingvat sitim: alvum emolliat mediocriter, pectoriqve ac tussi opem præstet singularem. Hinc dicit nom: supr: Joh: Ronodæus de hoc: *Præstantissimum naturæ donum & divinitatis plenum est Manna, non modo qvod præter naturæ leges Israëlitis alendis ê cælo pluit; sed qvod nobis qvotidie medicandis, mellei atque Saccharei roris modo, e Jovis nubibus super frondes exsudat: non minus enim, ut illi olim suas grandines Sacchareas; ita nunc nostrates agricolæ, vulgatam & granatam Mannam mirantur, dum exultantes canunt:* Jupiter melle pluit. Colligitur hoc in Syria, Palæstina, Arabia, Calabria & Polonia. Dum autem hoc colligunt homines, adhibent vasa ad arborum frondes, qvibus adhæret, sicqve concussis frondibus, decidit ros hic in sup-

po-

posita vasa. *In hanc rem scribit B. D. Luth. in Psalm. 78. Edulium illud non seritur nec crescit; sed cum rore dumetis adhæret, quibus motis, in cribrum decidit suppositum, orto sole liquescit, tactum non patitur, album ut ros, coriandro non absimile.* Mirum est, quod de hoc narrat Andr: Matthiol: in not: ad Discorid: lib. 1. c. 73. Cum aliquando locum, in quo præstantissimum reperiebatur, occluderent Reges Neapolitani; ne quis sine vectigali ipsum auferret, desiit generarii; loco autem recluso & vectigali ablato, iterum apparuit. Quod indicat, etiam hoc aliquid divini habere; cum adeò miraculosè, *causæ secundæ constringantur à Prima.*

§. IV.

Ex hac vulgaris *Mannæ* descriptione, quam adhibuimus breviter, ipsi qui nobis adversi sunt concludere volunt: *divinum ejusdem naturæ cum hoc fuisse.* Quippe, quemadmodũ ipsum, *tenue, subtile & rotundum fuit; cum rore descendit, album*

præ-

præterea & ſicut ſemen coriandri; ita qvoqve hæc omnia in *naturali* adeſſe. Aſt qvam infirma baſi, hæc tantor: Virorum hypotheſis ſtat fulta innixaqve, dum ex ſimilitudine accidentium, de ſubſtantiæ identitate judicant apodicticè! Non enim *ſtatim res illa, qva alteri in accidentibus eſt ſimilis, eſt illa ipſa.* Qvis dixerit figuram hominis in pariete depictam, ideo, qvia ſpecie forma & magnitudine hominem vivum repræſentat, eſſe ipſum hominem & gaudere vita? Non negamus in rebus *naturalibus eſſe accidentia, pro ratione qvalitatum & proprietatum ex formis conſeqventium:* non tamen aſſerere audemus, *Manna divin:* fuiſſe *naturale*; cum inveniamus alterum, naturale ſcil: illi nullo modo ſimile. Ut autem hoc cuilibet palam ſit; jam promiſſi memores, *div: reſpiciendum nobis, adeoqve jam* probabimus *differentiam*, qvæ hæc intercedit: rationibus pauciſſimis qvidem, validis tamen, & qvæ circa hoc negotium concurrunt, potiſſimis. Huic autem vado priusqvam

qvam nos committimus, & Viris, qvos habuimus ſupra contradicentes nobis, doctrina & Auctoritate illuſtres, has opponimus; id tamen in anteceſſum fatemur, nos non aliunde probationis noſtræ fundamenta, & hic & per Opellam totam, petituros; qvam ex *S. Textus Oraculis*, & occaſione eorundem commoda; horum enim adyta, ſi veneratione qvâ par eſt referentur, propoſitum noſtrum tetigimus felices. Non tamen, per violentas conſeqventias hanc veritatem extorqvebimus, ſed prout apertè ſe inſinuat, eruemus placidè; ita ut ex differentia hac, præter ea qvæ dicemus infra, etiam conſtare poſſit, ſummum & non vulgare extitiſſe hoc *Miraculum*.

§. V.

In frontiſpicio ſtatim firmum & immobile ſiſtimus *Argumentum*, qvod nobis ſuppeditat diverſa horum conſtitutio â cauſis internis. Non fuit compoſitum *div: Mânna ex rore & plantarum vapore*, ut

ut in generatione vulgaris ſupponitur, ſed compoſitione gaudebat valdè ſubtili. Fuit qvidem in productione conjunctum cum rore; non tamen ex rore genitum memoratur, nedum ex herbarum exſtillationibus: ſed cum rore, ut ſtrato conjungitur, & diſtinctum ab hoc, cum deſcenderet, & cum reſolveretur, fuit. *Divinum* hoc, jam tum perfecta gaudebat ſubſtantia, cum adjungeretur ipſi ros; non autem materia informis *Mannæ* qvando deſcenderet cum ipſo. Cœterum qvando in *naturali* fit illa vaporum cum rore conjunctio, non adhuc perfectum eſt, ſed in illa conjunctione & miſtura ſucci plantarum cum rore, ſucceſſive demum generatur Manna. Et undè qvæſo hic plantarum vapor & herbarum exſtillationes in aridiſſimis Arabiæ deſertis, in ſpatiis vaſtiſſimis, ſterilitate omniqve rerum inopia famoſis? Hic, ubi pluviâ non eſt miraculum majus, & aqvæ hauſtu, nil emitur carius. Ergo non eſt utriuſcȝ eadem ſpecie natura: ſed dicendum *Mannæ* Iſraëlitarum,

ſine

ſine tali cauſa naturali: ſine ullo Terræ vel herbarum conſortio, *ſola ſupernaturali, divina & miraculoſa virtute productum fuiſſe:* unde nec ex Phyſica, ſed ex Theologia nomen expromtum Iſraëlitis erat: MAN, PANIS JEHOVÆ, ut acutiſſ: loqvitur D. D. Varenius circ: h. l.

§. VI.

Præter hoc, qvod ſint affectiones horum diverſæ: ſcilicet *naturale ſoli exp ſitum, non reſolvitur, qvemadmodum liqvefactum fuit divinum: lingvæ impoſitum, liqveſcit ſubito, cujus tamen expers fuit divinum: non eſt durum, ut contundi & placentæ ex eo confici poſſint; qvod tamen in divino conſpicuum* fuit: Secundam probandi *rationem* nobis ſuppeditat ipſe *Locus*, qvi fuit deſertum v. ſtiſſimum, *Sin* dictum, inter mare rubrum & montem Sinai, diverſum ab illo deſerto zin, qvod Num: 20. v. 1. Cades dicitur. In hoc, qvod obſervarunt Eruditi, *naturale Manna* nunqvam deſcendit, multò minus ibi aliqvando viſum; ſi enim naturale eſſet, ſemper illic re-

reperirent hoc homines; qvippe longitudo temporum, Regionis illius naturam mutavit minimè. Tertiam jam adducimus, cui probandi magna ineſt vis. Hanc conſtituit ipſum *Tempus*. Naturale non deſcendit per totum annum, ſed tempore duntaxat verno, menſibus Martio & Aprili. Ratio, cur non decidat ſemper, hæc eſt: qvia temperati caloris eſſe perhibetur; unde tempore veris tantum decidit, cum temperatus exiſtit calor; non vero bruma & æſtate, deſcenſum prohibentibus, jam calore nimio: jam aſperrimo frigore. Aſt in *divino*, qvam ſe habet res aliter? Omni tempore æqvaliter, qvolibet menſe dieqve indiſcriminatim deſcendit. Hoc aliunde non provenit, qvam qvod unum naturale ſit, alterum divinum. *Qvarta. Deſcendebat divinum in omnibus locis ubi caſtra metabantur; ergo non fuit res naturalis.* Ad haoc qvidem excipiunt ſine ratione & fundamento: caſtrametationes & itinera Iſraëlitarum, inſtituta fuiſſe ſecundum loca in qvibus de-

deſcendebat *Manna*: hinc Arcam fœderis præceſſiſſe, ad explorandum locum caſtris metandis aptum, ubi deſcenderet *Manna* & ſuppeteret aqva. Aſt, num ignorarint hi ipſi, totum deſertum fuiſſe naturæ ejusdem? Nulla ergo fuit cauſa, cur in loco uno deſcenderet magis qvam in alio. Et ipſa Scriptura teſtatur, Populum per longum tempus manſiſſe in kadeſch Deut: 1. 46. ubi continuò hôc utebatur. Si autem hic tanto tempore, ſine intermiſſione deſcendit, & alibi tantum diem unum & biduum: naturaliter utiqve hoc non fieri potuit. Seqvebatur ergo *Manna* caſtrametationem, non caſtrametatio *Mannæ*. *Rationem qvintam* aſſumimus ex Deut: cap. 8. 3. ubi Moſes divina beneficia Populo ſiſtens, de hoc ita habet: *Adflixit te Dominus, & eſurire fecit te, & cibavit te Manna, qvod neqve tu noveras neqve Patres tui &c.* Item v. 16. jam ſi *Manna* hoc fuit naturale, & naturaliter deſcendit, ſicut medicinale; nullum adfuit miraculum. Et qvomodo

dicere potuiſſet Moſes: qvod neqve tu neqve Patres tui noverant? non enim tam imperiti, tamqve inexpertes erant Iſraëlitæ, ut rorem vel mellis ignorarent ſpeciem: nec opus fuiſſe illorum admiratione, & ſpecialiſſima deſcriptione, ſi fuiſſet meteorum roridum. Ad *ſextam* tandem accedimus, qvam & ultimam facimus. Omni exceptione eſt hæc major, & ad hanc ipſi, qvibus partes adverſæ placent, victi conticeſcunt. De hoc præcepit DEUS Moſi; ut impleret ex eo menſuram Gomer, eamqve reſervaret poſteritati, ut videret cibum, qvo aluit populum DEUS in deſerto. Exod: 16. 34. Cui autem bono hoc, ſi idem ſpecie cum vulgari? neqve enim tum ad Arcam recurrere, hujus videndi cauſa, opus erat. Qvam ob cauſam adeò prerioſum fuit; ut præceperit DEUS hoc reponi in intimum Sanctuarii penetrale, juxta Arcam fœderis; niſi res fuerit miraculoſa & præternaturalis? Relinqvamus ergo ſuum Manna Medicis, Polonis, Ruſticis & Alchymi-

miſtis, qvibus & liberum erit, ex Arca, granula qvædam Mannæ hujus petere, & tentare, an reſolvantur in nitrum & ſal Armeniacum, (qvod fortè contingere ſolet naturali,) eſt Judicium *Magni noſtri Varenii verè Auguſti. Dec. 13. in Exod. loc. 1. p. 268.*

§. VII.

Et his qvidem rationibus vindicavimus *divino* ſuam majeſtatem & dignitatem, jam in ſeqventibus id agemus unicè, *ut ea, qvæ Divinitus huic acceſſere, perpendamus altius.* Ut autem illum, qvem amat Scriptura ipſa, in cap: noſt: 16. Exod: ſervemus ordinem, non pœnitebit ipſum *Tempus*, dum deſcenderet hoc, paucis indigitaſſe. Hoc ſtatim ſiſtit nobis div: Vates, ſub initio Hiſtoriæ hujus. *Die decima qvinta menſis ſecundi*, poſt egreſſum ex Ægypto, in deſertum Sin populum veniſſe refert. In hunc diem deſcenſum *Mannæ* referendum ſtatuimus, qvi fuit præter propter triceſimus menſ. April. nam menſe primo, hoc eſt Martio, egreſſi ſunt ex Ægypto. Hoc au-

tem dum probare ſatagimus, πρεσβύτερον aliqvantum exſpatiandum nobis, & Judæorum calculus, in ſupputandis menſibus, conſulendus. Hunc, apud ipſos, duplicem fuiſſe conſtat. Ante captivitatem Ægyptiacam, inchoarunt annos â novilunio menſis Tiſri ſive Septembris, ex mandato DEI Exod 23. 16. qvi etiam Ethanim dicitur. Erat autem hæc computatio reſpectu *Anni civilis*; aſt reſpectu *Anni ſacri*, incipientis â Martio, appellatur hic menſis ſeptimus. Juxta ſuperiorem calculum, incidiſſet jam dies hic in menſem Bul vel Marcheſvan, qvi Octobri noſtro reſpondet & qvi ſecundo eſt â Tiſri. Poſt liberationem autem, ex hac Servitute, miraculoſam, aliud anni initium conſtituit ipſis DEUS, ſcilicet menſem Abib ſive Niſan, noſtro Martio ferè reſpondentem, uti patet Exod. 12. 2. â qvo poſtmodum omnia feſta in V. T. ſupputantur. Atqve ſic juxta hunc calculum, ſecundus in ordine eſt Jiar antea Sif dictus, qvi partim in Aprilem partim in Majum incidit nobis; qvia

Ju-

Judæi initium cujuscunqve Menſis, collocarunt in novilunio. Vid: de his, qvæ adduximus, Clariſſ: Leuſden: Phil: Hebr: Mixt: Diſſert: 34. p. 219.

§. VIII.

Tempori, jam ſubjungimus *modum deſcenſus*. Hunc in eo conſtitiſſe ex ipſo Moſe colligimus: qvod deſcendente noctu ſuper caſtra rore, ſimul ipſi conjunctum deſcenderit *Manna*; mox enim poſt roris deſcenſum, & ejus, per radios ſolares, elevationem, revelabatur ſtatim Manna, & tunc apparebat illud דק מחספס ſeu tenue & rotundum ſuper Terram. Ex hoc modo, qvo decidit, concludimus puriſſimè fuiſſe, hoc cuſtoditum, & voluiſſe divinam bonitatem, Donum hoc, tanqvam ſingulare â ſe profectum, roris adminiculo, cui procul dubio intermedium fuit, ratione ſingulari, contra qvemvis caſum, mundum & ſine omni labe Populo inſervire. Adeo ut non male, ex hac narratinone Moſis, colligant ipſi

Ju-

Judæi: mane omnium primo, pruinam qvandam decidiſſe in deſerto, poſtea *Manna*, rurſumqve poſt *Man* rorem nonnihil congelatum, ut ſic fuerit intermedium, mundè cuſtoditum & inter duo ſtramenta, pruinæ ac roris, artificioſè repoſitum. Hinc in Sabbatho duos menſæ imponunt panes, linteamine mundo infra & ſupra tectos: duos ideo adponunt panes; qvia *Manna* die Veneris duplici menſura colligebatur Ex. 16. 22. Tegunt autem panem ſuperius & inferius, ob dictum Mannæ, in pruina & rore, involucrum geminum: in eum etiam finem mulieres Judæorum, bonæ ac probæ, *Tucetum* qvoddam pinſunt Sabbathinum, vel ſimile qvid, per qvod repræſentent ipſum *Manna*; Tucetum enim & ſupra & infra, ſub qvodam panis cruſtra, carnem habet occulte infartam, ut micam *Manna* vid: Buxtorf: Synag: Jud. cap. 15. p. m. 311.

§. IX.

Qvanta fuerit *Mannæ decidentis copia*, tacet ipſa Scriptura Sacra; in maxima au-

autem copia decidiſſe, ex circumſtantiis Textus, facilè diſpaleſcit. Qvippe, dum tantæ multitudinis appetitum terminaret, & poſt copiam ſui factam, adhuc tamen in agris conſpiceretur; copioſum hoc fuiſſe conſtat. Invenit circa negotium hoc aliqvid Rabbinorum acumen, qvod tamen *hyperboliam* ſapit, nec ad literam intelligendum; ſed ad exaggerandum amplitudinem *divini beneficii* ab ipſis excogitatum. Dicit ex his qvidam R. Elieſer Hammodai in Talm: Jom: fol: 78. col: 1. מן שורר להן לישראל ששים אמה *Manna, qvod Iſraëlitis decidit, fuit ſexaginta cubitorum altitudinis.* Fundamento nixus riſu excipiendo; hoc ſcilicet, qvod in hiſtoria Diluvii dicatur: *& feneſtræ Cœli apertæ ſunt* Gen: 7. 11. jam autem phraſis eadem de Manna repetatur Pſam: 78. 23. *Januas cœli aperuit.* Atqvi qvemadmodum, ſecundum ejus calculum, aqvæ diluvii ſexaginta cubitis aſſurrexerunt â Terra; ergo totidem etiam Manna. Conſeqventia egregia! Qvin magis contrarium ex ipſo Textu

adferre poſſumus. Tenue ſuper terram inſtar pruinæ ſtratum dicitur, qvod tantam copiam minimè admittit. Sunt autem hujusmodi Rabb: expoſitiones allegoricæ plerumqve, qvas ſuo more, per levem & probabilem rationem ex Scriptura eliciunt, ad præſtantiam rei alicujus amplificandam.

§. X.

Cum jam adeo miraculoſè in eſcam Populo ſe obtuliſſet hoc *cæleſte munus*; præcepit ipſi Dominus per Moſen, ut ex hoc qvantum ſufficeret fami, colligeret indies. Copiam hujus colligendi, ad menſuram Gomer ſingulis præfiniit, excepto die ſexto, cum ob ſeqvens Sabbathum duplò magis colligeretur. Qvantum conſtituat Gomer, leviter diſſentiunt Auctores. Juxta Vilipandum qvatvor erat librarum. Cornelius dicit octo libras ſeu 96. uncias continuiſſe. Vaſerus ad novem libras Romanas hoc reducit. Ipſe autem Textus, hanc rem nobis ſiſtit expreſſè

ſatis,

satis, & Gomer decimam Ephæ partem æqvasse tradit v. 36. Epha autem continebat 3. sata, 18 Cabos. 432 Ova. Ex his fuit Gomer $1\frac{1}{2}$ Cabi vel ovorum 43 & $\frac{1}{5}$ qvæ mensuræ omnes aridorum fuere. Si ad nostram mensuram hoc revocemus, videtur Gomer conficere cantharum unum vel aliqvanto magis: ipsum autem Epha ad Tonnæ qvadrantem partem vel 18 canth: se extendere. Hoc Gomer עמר non confundendum cum alia mensura aridorum qvæ חמר Chomer dicitur, uti â qvibusdam propter affinitatem soni factum est; cum tamen scriptione differant & capacitate. Continet Chomer 30 sata sive 10 Ephas & onus asini vel muli graviſſimum est; qvare & nomen habet a חמר asino. Voluit jam ipse DEUS, ut populus ad hanc mensuram Gomer, de hoc cœlesti Pane in qvemlibet diem sibi colligeret; qvia hæc tantum *Mannæ* capiebat, qvantum sufficeret uni homini, ad unius diei famem validè arcendam. Hinc definit Aben Esra

Gomer per מאכל איש אחד ביום אחד *cibum viri unius die uno vel in diem unium.* Non autem caruit miraculo, qvod Iſraëlitarum alii ſupra, alii infra hanc menſuram colligentes, & domi viciſſim ad hanc ipſam metientes, in ſingula capita præciſè Gomer invenerint. Cauſam addit Abarbenel doctiſſ: Rabb: *Qvia hic cibus fuit divinus, & a DEO datus e cœlo, noluit ut eo uterentur, ſicut aliis rebus materialibus, qvæ acervatim congeruntur, ut ex iis mercatura exerceatur; ſed ita temperavit hujus ſufficientiam & qvantitatem, ut nec deeſſet ipſis aliqvid, ſed haberent panem ſuum qvotidianum; neque etiam ſupereſſet, qvod vel in theſauros reponerent, vel ex qvo negotiationem facerent.* Qvidam Interpretum æqvalitatem hanc, non per miraculum deprehenſam, ſed inde factam volunt; qvod ex agro domum redeuntes, vel ſinguli patres familias, vel præfecti ad id conſtituti menſi fuerint ad Gomer, qvod qvisqve collegerat, ac juxta menſuram, illam qvi ultra demenſum ſuum adtulerat, de ſuperfluo implevit defectum

ctum illius, qvi collegerat minus. Sed cum hæc expoſitio, a ſimplicitate Textus recedat, non videtur â nobis mereri adplauſum.

§. XI.

Voluit Ipſe DEUS, poſtqvam jam Populus menſuram *Mannæ* in diem qvemlibet menſus eſſet, ut hanc qvolibet die abſumeret, nihil ejus in ſeqventem relinqveret; qvotidie enim novum conſtaret ipſi. At hæc dura Gens, diffidentiæ ſuæ prodidit notas, ſaginæ ventris intenta nimium, contra mandatum divinum in craſtinum *hoc* depoſuit. Jam autem prodigioſum fuit valdè, qvod ita contra edictum reſervatum, per reliqvos ſeptimanæ dies putruerit & vermes produxerit, â ſexto autem in ſeptimum cuſtoditum neſcium putredinis fuit. Idem obſervarunt Judæi de *Mannâ hoc*, qvod juſſu DEI in urna conſervatum fuit, per annos 900 in *Sancto Sanctorum* ante Arcam usqve ad vaſtationem Templi primi manſiſſe incorruptum, nec unqvam vel fœtuiſſe vel ver-

mes produxiſſe. Circa ipſam qvidem rem miraculum adfuiſſe conſtat: ipſe etiam modus miraculoſus videtur, qvemadmodum volunt qvidam Interpretum Hebræorum, qvorum ſententiæ etiam ipſa S. Scriptura pollicem qvaſi videtur premere. Prius vermes produxiſſe dicitur qvam purruerit; cum tamen in rebus naturalibus, reſte ipſa experientia, ordine transverſo ſe habeat res. Hinc Judæorum qvidam Ramban ſcribit: *Emphaſi non videtur hæc res carere, dum aſſerit S. Scriptura primum vermes produxiſſe* Manna, *deinde computruiſſe. Si enim vermes produxiſſet uti cætera verminantia, tum utique putruiſſet prius, ſed qvia verminavit miraculoſè, debuit primo producere vermes.* Licet autem videatur Scriptura, rem hanc narrare ordine eo, qvo eam invenerunt, qvod ſcil: primo viſu deprehenderint vermes in eo eſſe, poſtea olfactu qvod fœtuerit; utcunqve tamen factum ſit, non ſine miraculo factum.

§.

Singulare circa *Manna* fuit, qvod per hoc *Sabbathi Sanctificatio* Populo injungeretur, qvare nec die ſeptimo ipſi deſcendit, ſed ex priori die collecto jam fruebatur. Cauſam addit Moſes: שבתחן שבת־קדש ליהוה מור, *Sabbathum, Sabbathum ſanctum Domino cras.* Hic volunt Hebræi contineri primã Sabbathi inſtitutionem, & ideo Moſen dicere v. 29 ראו *videte* qvod DEUS dederit vobis Sabbathũ. Sed qvorſum inſtitutio ejus Gen. 2. ſi jam primũ reqvies ejus in legem abiiſſet? Non ergo hic inſtitutũ fuit Sabbathũ, ſed potius innovatum, & confirmatum miraculis. In Ægypto fortè neglectui habitum, nunc obſervationi mandatum. vid. Crit. Poli ad h. l.

MEMBRUM TERTIUM.

Formam. Colorem & Saporem Mannæ *ſiſtit Deinde tempus, qvamdiu hoc utebantur Iſraëlita, tradit. Hinc claudit.*

§. I.

Contemplati ſumus hucusqve, *Manna* tum excellentiam, tum circumſtantias varias; jam videtur methodi noſtræ ratio

ratio & natura rei injungere nobis, ut adfectiones illas, qvæ proximè ipſam exprimunt, in apricum ponamus. Prima cujus meminit Sacra Scriptura, *Forma* eſt, ſeu *externa ejus habitudo*, hanc exprimit Moſes v. 14. per מחספס רק, *Tenue vel ſubtile rotundum* & Num. 11. v. 7. per זרע גד *ſemen coriandri*. Qvæ teſtimonia Sacræ Scripturæ, *rotundam* & non aliam ipſi adſignant *figuram*. Per רק tenuitas notatur, qvæ cum ſubtilitate ſeu tenuitate pruinæ comparatur. Sub voce מחספס *formam* ejus *rotundam* proprie deſcriptam volumus. Qvam ſignificationem ſibi inſitam habet omnino, utut diverſimode â qvibusdam Interpretum exponatur; qvam licentiam, hoc ipſis feciſſe videtur: qvod nuſpiam in toris Scripturis, niſi hoc loco reperiatur. Hinc reddit Chaldæus: *decorticatum vel denudatum*, qvaſi idem eſſet: qvod מחשף â חשף decortavit. Eodem ſenſu reddit Onkelos & alii qvidam מקלף. Aſt major horum pars, qvi etiam ad fontium majeſtatem, proprius acceſſerunt, conſtanter

per

per מגולגל ועגול *orbiculare & rotundum* efferunt. Nec dubitandum eſt, qvin habuerit omnino hanc figuram ipſum *Manna*; cum dicatur adeò expreſſè Num: 11.v.7. כזרע גד *ſicut ſemen coriandri*, ratione ſcilicet formæ & figuræ, non coloris; uti ſeqventi paragr: aſſertum ibimus.

§. II.

Cujus fuerit coloris, jam conſiderandũ nobis. In hoc inveſtigando, non laborabimus multum, cum & hic, Sacræ Scripturæ veſtigiis, turò inſiſtere liceat. Album colorem ipſi aſſignamus: qvem innuit vox in fontibus לבן, & hanc genuinam ſignificationem eſſe, comprobat cõmunis Interpretum conſenſus. Hæc autem accipienda in ſenſu diviſo, nec cum præcedentibus verbis conjungenda, ut male reddiderunt Interpretũ qvidam, qvaſi fuerit *Man* כזרע גד לבן ſicut *ſemen coriandri* album, & ut dicitur in Zohar כזרעא דגרא חוורא eodẽ ſenſu, reclamante ipſa veritate: non enim *Manna* nigrũ ut eſt coriandrũ, nec color coriandri

albus, qvo tamen præditum fuit *Manna*. Fit hic comparatio, non *qvalitative, ſed qvantitativè*: non *in colore, ſed in parvitate & rotunditate.* Hanc expoſitionem, præterqvam qvod accentuationis ratio eam omnino efflagitet, ſvadet Textus parallelus Num. 11. 7. tanqvam unicè hujus propoſitionis interpretativus. Sic habet: חמז כזרע־גד הוא ועינו כעין הבדולח: *Man* erat, ſicut ſemen coriandri ipſum, & oculus ejus (hebraiſmus potentia pro objecto) ſicut oculus (color, ſpecies) *bedolach.* Non ergo reſpectu coloris ſimile fuit coriandro, ſed tantum ratione externæ diſpoſitionis; ita ut grana habuerit tenuia, orbicularia inſtar granorum coriandri. Optimè ergo obſervarunt, ex Judæis Raſchius, ex Chriſt: B. Lutherus, pulchrè exprimendo ſenſum diviſum, per particulam und/ qvæ implicitè ſaltem in fontibus adhibetur: plenè enim reddit: Es war/ wie Coriander Samen und weiß/ qvod itidem notarunt Schmidius & Interpretes noſtri.

Nec

Nec obſcurè colorem ejus ſiſtit vox בדלח, utut de hujus ſignificatu diſcrepent Auctores. Qvidam per piper aut *caryophyllum* hanc exprimunt. Qvidam *per gummi arboris bdellii*, qvod eſt translucidum, ſimile ceræ Plin. l. 1. c. 12. Alii per *cryſtallum*, qvæ expoſitio locum non habet; lacteũ enim colorem habuit *Manna*, non cryſtalli, vel adamantis. Apprimè autem convenit, ſi nomine *bedolach, margaritam* intelligamus, ſive *unionem pellucidum*, cum *Manna* & albũ fuerit & rotundũ; qvæ duo in margarita ſunt inſignia. Album fuiſſe innuimus ſupra, & hunc nativum colorem eſſe, ſcribunt omnes & comprobat ἀυτοψία; unde & cum pruina Exod. 16. 14. comparatur. Figuram itidem מחספס rotundam vindicavimus ipſi; nec eſt qvod expoſitio hæc tanqvam nova rejiciatur; cum & antiqviſſimi Doct. Talmudici, hunc locum explicantes in Iom. Cap. 8. fol. 5. *Manna* fuiſſe dicunt עגול כגרוא ולבן כמרגלית rotundum, ut coriandrum; & album,

ut margaritam. Non tamen fabulæ Hebræorum accedimus, qvi ideo fingunt *Mannæ* tribui ſpeciem τῆ *bdolach*, qvod pretioſi lapides & margaritæ cum ipſo deſcendebant, uti vult Baal Hatturim in hunc Num. loc. Huc facit qvod pleraq; Verſ: Orient: in reliqvis diverſæ, hic tamen conſentientes, loco בדלח habeant *margaritam*. In qvam ſententiam palam etiam propendent Pagninus in Lexic: Oleaſter, Sreuchius, Mercerus & alii, qvi in his literis primas tenent.

§. III.

Qvem habuerit Saporem, etiam obſervaſſe juvabit. Per placentam, vel ſimilam melle tinctam hunc inſinuaſſe conſtat: ita enim narrat Moſes v. 31. טעמו כצפחת בדבש: *guſtus ejus erat ſicut placenta mellita*. Qvæ autem Num. 11. 8. itidem de ſapore ejus adfert, alium fundere ſenſum & contradictionem qvaſi involvere videntur. His utitur verbis: חיה טעמו כטעם לשד השמן *fuit ſapor ejus*

jus ſicut ſapor humoris olei. Nulla tamen hic invehenda contrarietas, licet dicatur priori loco ſaporem habuiſſe *cruſtulæ mellitæ*, in poſteriori, *olei*: coincidunt ſententiæ hæ amicè: expoſitio utraqve, ſua ſtat innixa veritate, utut qvosdam torſerint variè. Cenſent Aben Eſra & Abarbenel, imo Doctores plurimi: Scripturam Exod: 16. loqvi de guſtu *Mannæ* qvalis fuit cum decideret, ante coctionẽ; dulcis ſcilcet inſtar mellis, vel placentæ cum mellæ comeſtæ. Num: vero 11. de ſapore, qvalis fuit poſt coctionẽ, & præparationẽ, inſtar olei. Qvæ ſententia, licet ſit conveniens ſatis & cõmoda; Ipſe tamen B. D. Valtherus in Harm: Bibl: p. m. 253. paulò aliter rem hanc expoſuit. Nullam adhibet diſtinctionem, utrumqve tamen agnoſcit ſaporem. Exiſtimat *Manna*, ſapore ſuo ita retuliſſe *cruſtulam mellitam*, ut ſimul ſvavitatem haberet *olei præſantiſſimi.* Cum hac ſententia faciunt 70. qvi ad Exod: loc: reddunt *Manna* fuiſſe: ὡς ἐγκρὶς ἐν μέλιτι. Sunt autem ἐγκρίδες teſte Athenæo lib. 14. πέμματα ἕψομενα

ἐν

ἐν ἐλαίῳ καὶ μέλιτι, *placentæ coctæ in oleo & melle*, vid: etiam Lex: Scapul: ad: v. h. Constat ex his, saporem Mannæ fuisse præstantissimum & manducanti summa cum voluptate inserviisse, adeoqve donum tanto *Domino & datore* dignum. Mirum est, qvod de Saporis hujus varietate narrat, tam Scriptura, qvam Hebræi & Doctores alii. *Præsertim sin gulare est, qvod dicitur Sap: 16. 20, 21. Panem Angelorum populum tuum refeciſti, & panem, omni pollentem voluptate, omniqve gustui accommodatum, sine labore de Cælo ipsi demisisti: substantiâ enim suâ suavitatem Tuam erga filios Tuos declarabat; atqve desiderio adsumentis subserviens, ad ipsius qvalemcunqve voluntatem se temperabat.* Hoc tamen *non ex rei veritate, sed ad amplificandum DEI beneficium* â Sapiente dictum, rectè volunt Interpretes & eruditè monet D. Valth: loc: cit: supr: Ipsi Hebræi, multum laborant in negotio hoc, & nescio qvas novas & inusitatas sibi formant finguntqꝫ crises. Saporem in *Manna* mutatum volunt, tum respectu Sabbathi & reliqvorum

rum dierum, tum ratione comedentium. Die Sabbathi longè excellentius fuiſſe, diverſum ab illo qvod reliqvis diebus collegerant; unde etiam לחם משנה *panem mutatum* dixerunt. Reliqvis diebus aureum habuiſſe colorem, die Sabbathi, eundem in excellentiori gradu: diebus aliis odorem habuiſſe fragrantem, die Sabbathi longè fragrantiorem. Pro diverſitate comedentium, hac ratione mutatum volunt: ut ſcilicet juvenes in eo guſtarint guſtum panis: Senes guſtum mellis: infantes guſtum olei. Qvidam etiam Patrum, avidè ſententiam hanc de varietate ſaporis ſunt amplexi. Imprimis qvidem Origini hanc fuiſſe mentem, liqvidò conſtat, dum ſic ſcribit: *nunc feſtinemus cœleſte* Manna *ſuſcipere; illud enim prout vult qvisqve talem ſaporem reddit in ore ejus.. Et paulò poſt:* Manna *hoc unicuiqve ſapiebat qvod deſideriis concupierat, aliud erat qvod ſummebatur; aliud qvod videbatur, inviſibiliterqve ſapor ille in ſingulorum ſenſibus formabatur. Imo adhuc clar: qvidqvid volueris ex ſermone DEI naſci-*

ſcitur, ſicut Manna *qvod comedebant, ſecundum voluntatem uniuscujusqve ſic Sapiebat in ore; ut ſi deſideraret mala, ſi pyrum, ſi uvam, ſi panem, ſi carnes, ſecundum qvalitatem & voluntatem comedentis, ita ſapor & in* Manna *erat.* Hom: Corp. & Sang. Chriſt: item Chryſoſt: Tom: 5. Hom: Hæc tamen qvæ de ſaporis varietate ſcribunt, allegorias redolere putamus; qvemadmodum etiam ſupr: innuimus Membr: 2. §. 9. Jam autem, cum ita ſaporem ſibi inditum utenti communicaret hoc *Manna*; ita omnino ſtatuimus, vim qvoqve nutriendi habuiſſe ſingularem, licet non per naturales cauſas provenerit, & principia illa habuerit communia, ex qvibus panis nobis naturaliter concreſcit, qvem definit Martin: in Lexic: p. 2475. *qvod ſit cibus ſolidus è farina & aqva ſubacta piſtus, igne coctus.* Conſtat rei hujus ratio hinc: *qvod veri & ſapidi panis effecta adfuerint;* ab eo enim tempore, qvo hoc frui cœpit populus, tœdioſa muſſitatio famis non exaudiebatur amplius. *Coturnicibus, qvæ pro carne & obſoni-*

ſoniis dabantur ipſi, contradiſtinguebatur. Per tempora illa, qvibus in deſerto oberrabat populus, *in Agno Paſchali, panis azymi ſeu infermentati vices ſuſtinuit*, qvi omnino verus eſſe debuit; imo nec alio pane gaudebat populus, donec hunc ſuppeditaret Terra promiſſa. Ut jam taceam nomen, qvo vocitatum fuit לחם, qvod tam in Script: Sacra qvam apud Hebræos, qvemvis cibum per excellentiam deſignat; qvia *panis* cibus eſt præcipuus, qvo hominis corpus alitur.

§. IV.

Cum jam adeò breviter circa *Argumentum hoc*, pro ratione imbecillioris ingenii, uti ſperamus, tetigerimus potiſſima; ſingula enim perſeqvi, nec dat tempus, nec fert inſtituti lex, unicam tantum delibabimus rationem, qvæ inter inſignes non eſt viliſſima. Scilicet, jam trademus, cum & opella noſtra finem reſpiciat, *Terminum ad qvem* hoc *divinum beneficium* ſe extendebat, poſtqvam per tot temporum ſpatia *hôc* refeciſſet

populum clementiſſ. DEUS. Hunc itidem ex Sacra Script: qvæ & *Terminum â qvo* ſuppeditavit nobis ſupr: eruiſſe facile eſt; cum inibi, circa finem narrationis *hujus doni*, fulgeat nobis. Per 40 annos, ſive toto perigrinationis tempore ex Ægypto in Terram Canaan, pro eſca ipſis ſtetit hic *panis Manna*. conf: Joſ: 5. v. 12. Hoc autem dum ex veritate Sacræ Scripturæ aſſerimus, non vilis adverſa ratio nobis obeſſe videtur. Scilicet, qvomodo â Moſe poterat hoc adjici, cum fatis prius conceſſiſſe videatur, qvam daretur hæc res eventui. Fovent nonnulli hanc ſententiam: ſcriptum hoc, cum immineret morti Moſes, & cum fines promiſſæ Terræ jam haberent. Alii ex revelatione Spiritus Sancti hoc â Moſe additum volunt. Qvibusdam placet, â Joſua potius, aut alio Prophetarum inſertum fuiſſe, qvemadmodum narratio de morte Moſis. Deut: 34. 5. ab alio adjecta fuit. Utut poſſit ſententiis his ſua ineſſe veritas, exiſtimamus tamen hoc ſcribi po-

potuiſſe ab ipſo Moſe 40. demum anno poſt exitum ex Ægypto, quo & reliqvos Moſis libros conſcriptos cenſent plerique vid: B. D. Rung: Comment: in Exod. p. 592. itid: Excellent: D. Calovium p. m. in Bibliis Illuſt: ad h. l. p. 583. *Sic jecimus aleam, ſic tranſivimus Rubiconem*: hic ergo terminum, hic finem facimus. Tibi, Candide *Lector & Cenſor* æqviſſime, hæc immatura jam cõmendamus ſtudia. Si placent, fac accipias hæc, ut ſveviſti ſemper, & Te docuit mens erectior, benignè. Si fortè horum infirma ratio Judicii Tui lumen recipere neqveat; ignoſces tamen his, cum ſcias, nil inchoatum & perfectũ ſimul in mortalitate hac proficiſci.

Jam autem,

אברכה את־יהוה בכל־עת
תמיד תהלתו בפי׃

Pſalm XXXIV. 2.

Da

Di

Den Edle och Wälb. Herren/

Her PETTER TIGER-STEDT/

Sitt Edla Sinnes Afwel/

Om De

ISRAELITERS MANNA/

första gången tryckeligen utwijste.

Jag bryr mig intet om hur' MANNA haf-
hafwer smakat/
Som Ebers-dryga Folck/ af mangel uppå bröd/
Åt i den öknen Sin, at undfly hungers nöd;
Jag wet den warit rar/ som GUD sielf hafwer
bakat.

Her PETTER TIGERSTEDT beskrifwer
detta BÄTTRE/
Än iag med korta Ord tilfylleſt gifwa kan/
Hwar med han ofelbart sig wijsar wara MAN;
Dy wåna Mulers hoop det Lof-ord honom sätter.

Wår wackra TIGERSTEDT/ för Edra
Manna-Seder/
Och för Ert Manna-wärck/ af oß Jhyllas bör;
Ert wittra Manna-wett/ oß slijka tanckar gör.
I för Er trogna tienst/ skal krönas snart med
Heder.

Desse få Rader/ til ett lijtet wänskaps
teckn/ lämna wille
ZACHARIAS LITHOVIUS.

NOBILISSIMO ac POLITISSIMO

DN. PETRO TIGERSTEDT,

De

MANNA,

Disertè differenti.

Doctrinæ fructus Tibi monstras esse suaves,
Cum nunc de MANNA fundere verba cupis.
Ritè facis: Recto capiens dum tempore MANNAM,
Dulcibus ac sanis fructibus ora rigas.
Carpere felici sic pergas omine MANNAM,
Inde sit EMANANS usus uterqve Tibi.

Paucula hæc debili sed amica accinebat minerva,
CAROL GOTTFRIED GEIER,
Lipsi. Misn.

MUSARUM CULTURA MORUMQ; ELEGANTIA
non minus, quam
Splendore Natalium
NOBILISSIME,
DN. PETRE TIGERSTEDT,
Studiorum commiles & Convictor
ſvaviſſime.

Inter tot Tibi, Nobiliſſime Tigerſtedt/ *gratulantium voces, me debitam Tibi ſilere laudem, vetat, eum quæ mihi tecum interceſſit per ſexennium conſvetudo familiaris & familiaritas jucunda, tum maxime tua ipſius virtus, quæ fecit Te Nobiliſſimo genere natũ verè Nobiliſſimũ, quæq; Te talem, qualẽ non ego ſolus judico; verũ, quod Tibi gratulor, Viri etiam magni cognitum judicant, & cognoſcendum adhuc melius per ſolidiſſimæ hujus tuæ de Manna cœlitus Iſraëlitis conceſſo Diſputationis defenſionem promtiſſimam. Clamittent alii ſuam, quam fœdâ vitiorum quorumvis colluvie degenerantes miſere fœdant, generis Nobilitatem; Tu tuam decoro virtutum decore ornas & ornabis. Jactent ſua ceteri, quæ adhibuerunt nunc reliquerunt ſtudia; Tu tua auges & augebis. præ-*

di-

dicent reliqvi suas cum Bacchi Venerisqve servus subjectissimis conversationes, fraternitates & qvid non? Tu tuam illam solitudinem diligentem & cum paucis virtutis & simplicitatis amantibus commercium colis & coles. Sic autem illos nudum nomen Nobilitatis obtinere; Te ejusdem omen obtenturum: Istos Studiorum exiguum gustum solum habuisse; Te præter gustum fructum habiturum suavissimum: Hos ab suis vitiorum sodalibus pejores; Te cum tuis adhuc meliorem videbis. Horum, qvos dixi, omnium ab exemplis, fortè nec hic infreqventibus, Te his præcipue annis Tibi cavisse, admirantur multi, invident inimici, gaudent amici. congratulantur omnes boni. Perge ergo ad ea, quæ nobilissimis & celsis tuis conatibus conveniunt, plenis ulnis amplectenda. In familia Tua TIGERSTEDIANA *Nobilissima Decus evade splendidum. Parenti Tuæ Nobilissimæ consolare. Gaudiis adfice Uterinos natu Majores. Minores tuo exemplo excita, in Nominis Divini Gloriam, Patriæ Emolumentum insigne tuumqve Ornamentum commodum, in qvibus Te adjuvet DEUS Optimus Maximus, vovet*

Tui officiosissimus

N. KiellBerg.

Dum ſic ingenii ſiſtuntur, Amice, pericla,
Valdè animum ſtimulant offi-
ciiqve monent.
Scilicet, ut voveam : Tibi cedant
cuncta ſecunda:
Et habeas ſtudiis, prœmia di-
gna, tuis.

Ex debito officii, amicitiæqve fucatæ minimè, hæc pauciſſima reliqvit

ERICUS FALANDER, J. F. Oſtro-Bothn.